

Acrostichis.

291

Erumnae & stridor dentis regnabit ubiq;
Ipsum deficiet solis decus, astra colore
Fusco obducentur, argentea luna peribit,
Insurgent ualles, confident ardua montis,
Luxus sublimis mortales deseret oras,
Immensos colles æquabunt marmora campi.
Veliuago nulli cernentur in æquore nautæ.
Succendet terram fulmen, uaga lymphæ uapore
Solis arefcet ripis, fontesq; debiscent:
Et tuba de cœlo tristis clangore sonabit
Raucifono, mundi clades pereuntis acerbæ.
Vastum terra chaos Stygio monstrabit hiatu,
Atq; Dei solio sistetur iudicis omnis
Turba ducū, regumq; pluet tum sulphure et igni,
Omnibus extabunt ligni uexilla uerendi,
Robur & auxilium populo exoptata fideli:
Certa pio generi uita. ast offensa malignis,
Rore bonos lustrans bisserni fontis ab unda:
Virgaq; qua pecori dat ferrea iura magister,
Carminis auspicijs qui crimina morte piabit
Seruator rex æternus Deus ipse patescit.

FINIS.

SIBYLLARVM DE CHRIS

sto uaticinia.

PERSICA.

Virgine matre satus, pando residebit asello,
 lucundus princeps, unus qui ferre salutem

t a

Ritè

Ritè queat lapsis: tamen illis fortè diebus
 Multi multa ferent, immensi fata laboris.
 Solo sed satis est oracula prodere uerbo:
 Ille Deus casta nascetur uirgine magnus.

LIBYCA.

Ecce dies uenient, quo æternus tēpore princeps,
 Irradians fata læta, uiris sua crimina tollet,
 Lumine clarescet cuius synagoga recenti:
 Sordida qui solus reserabit labra reorum,
 Aequus erit cunctis, gremio rex membra reclinet
 Reginae mundi, sanctus, per secula uiuus.

DELPHICA.

Non tardè ueniet, tacita sed mente tenendum
 Hoc opus. hoc memori semper qui corde reponet,
 Huius pertentant cor gaudia magna prophetae
 Eximij, qui uirginea conceptus ab aluo
 Prodibit, sine contactu maris. omnia uincit
 Hoc naturæ opera: at fecit, qui cuncta gubernat.

CIMMERIA.

In teneris annis facie præsignis, honore
 Militiæ æternæ regem sacra uirgo cibabit
 Lacte suo: per quem gaudebunt pectore summo
 Omnia, & eoo lucebit sidus ab orbe
 Mirificum: sua dona Magi cum laude ferentes,
 Obijcient puero myrrham, aurum, thura Sabæa.

SAMIA.

Ecce dies, nigras quæ tollet læta tenebras,

MOX

Mox ueniet, soluens nodosa uolumina uatum
 Gentis Iudææ, referent ut carmina plebis.
 Hunc poterunt clarum uiuorum tangere regem,
 Humano quem uirgo sinu inuiolata fouebit.
 Annuit hoc cœlum, rutilantia sidera monstrant.

C V M A N A.

Iam mea certa manent, & uera, nouissima uerba,
 Vltima uenturi quod erant oracula regis,
 Qui toti ueniens mundo cum pace, placebit,
 Ut uoluit, nostra uestitus carne decenter,
 In cunctis humilis. castam pro matre puellam
 Deliget, hæc alias forma præcesserit omnes.

H E L L E S P O N T I C A.

Dum meditor quondam uidi decorare puellam,
 Eximio (castam quod se seruaret) honore,
 Munere digna suo, & diuino numine uisa,
 Quæ sobolem multo pareret splendore micantem:
 Progenies summi, speciosa & uera Tonantis,
 Pacifica mundum qui sub ditione gubernet.

P H R Y G I A.

Ipsa Deum uidi summum, punire uolentem
 Mundi homines stupidos, & pectora cæca, rebellis.
 Et quia sic nostram complerent crimina pellem,
 Virginis in corpus uoluit demittere cœlo
 Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus almæ
 Matri, quo miseros contracta sorde leuaret.

E V R O P A E A.

t 3 Vir

Virginis æternum ueniet de corpore uerbum
 Purum, qui ualles & montes transiet altos.
 Ille uolens etiam stellato missus Olympo,
 Edetur mundo pauper, qui cuncta silenti
 Rex erit imperio: sic credo, & mente fatebor:
 Humano simul ac diuino semine gnatus.

T Y B V R T I N A.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi munia fandi,
 Carmine quòd sanctam potui monstrare puellam,
 Concipiet quæ Nazareis in finibus, illum
 Quem sub carne Deum Bethlemica rura uidebūt.
 O nimium felix, cœlo dignissima mater,
 Quæ tantam sacro lactabit ab ubere prolem.

A G R I P P A.

Summus erit sub carne satus, charissimus atq;
 Virginis & ueræ complebit uiscera sanctum
 Verbum, consilio, sine noxa, spiritus almi:
 Despectus multis tamen ille, salutis amore,
 Arguet & nostra commissa piacula culpa:
 Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

E R Y T H R A E A.

Cerno Dei natum, qui se demisit ab alto,
 Vltima felices referent cum tempora soles:
 Hebræa quem uirgo feret de stirpe decora,
 In terris multum teneris passurus ab annis,
 Magnus erit tamen hic diuino carmine uates,
 Virgine matre satus, prudenti pectore uerax.

F I N I S.